

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. III. De purgatione à peccatis. Exuendus erga illa affectus & vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum remedium, quam mortis, & aeternitatis consideratio

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

afferre quamdiu latet. Et corporis quidem ulcerata metu
pudibunda omnium oculis exponere, ut carentur, non e-
rubesca; animæ verò carcinomata studiosè tegis, ac si ea
celare tollere sit; cum vix tamen fieri possit, quin vel te
repugnante ipsa se prodant. Qui vulnus tegit, nunquam
sanabitur.

5. Nunquid Medicus injuriam tibi facit, si tuum tibi
morbum demonstrat, si periclitanti dicit, Malè habes,
febricitas: hodie tibi abstinentia à cibo est, hodie aqua
potanda? Imò pro beneficio laudatur, gratiæ ei aguntur
& referuntur. Si quis autem dixerit, appetitiones tuæ
æstuant, opiniones vanæ sunt, affectus immoderati; pro-
tinus exclamas, ô facinus ferro & sanguine vindicandum!
ô contumeliam nullo modo ferendam! Infelix! Quid tibi
damni aut mali infert tuæ salutis studiosus monitor & in-
structor? Id scilicet quod speculum deformi. Te talem ti-
bi ostendit, qualis es. Corrige ergo quod ille arguit; com-
pone mores, ablue frides. Facile potes, si volueris, om-
nium te oculis irreprehensibilem exhibere.

C A P. III. *De purgatione à peccatis. Exuendus erga illæ
affectus & vitia extirpanda. Nullum efficacius vitiorum
remedium, quam mortis & aeternitatis consideratio.*

I. **A**B ultimo fine deviat homo, cùm peccatum com-
mittit, quod est omnium malorum causa. Ab hoc
semine nascitur quicquid cruciat: hoc veneno totus orbis
inficietur. Latet illud dum fit, sed cùm patratum fuerit,
tunc intelliges quam malum sit. Fuere qui mortuorum
corpora vivis jungerent, ut fœtore torquerentur. Similis
est in peccantes animadversio, alligatum est eis suppli-
cium, non inveniunt quo evadant. Nisi aliquid patiaris
ne malum facias, plurimum patieris quia fecisti. Vix
concipitur prava actio & jam puerpera est suæ pœnæ. In-
de nata mors est, hinc succensa gehenna. Ab omnibus
itaque flagitiis expianda conscientia, dolore, confessione
& satisfactione. Nec graviora, dumtaxat evitanda, sed

minima quæque & leviora , que tametsi mortem non affe-
rant , vires tamen sensim dissolvunt & ad mortiferam la-
bem disponunt. Quid autem interest ad naufragium,
utrum navis uno fluctu operiatur ; an guttatum subrepens
aqua & per incuriam spreta ipsam impletat & submerget ?
Tantò majorem maculam ista inferunt moribus , quanto
facilius poterant evitari. Quò hostis debilior est , eò gra-
vior tibi ignominia erit , si ab illo vincaris.

2. Nunquam virtutes animo infondere poteris & te in
pristinum libertatis statum asserere , nisi exuas omnem
affectum erga peccata quamvis minima ; ne corpore in
deserto , animo sis in Ægypto. Malè tecum agitur , si
post dimissam injuriam , post relictos turpes amores ; ad-
huc malignis collocutionibus præstas auditum , adhuc
terrenâ specie delectaris. Vitia autem & pravi habitus ,
qui deletâ culpâ in te remanent tanquam pessima peccati
soboles radicitus extirpari debent. Si solos ramos præci-
deris , servata radix emerget & novi ex ea succrescent ra-
musculi iniquitatis. Dicis te velle vitia excindere. Falsum
est , non enim claudis vitiis ostium , sed opponis. Dicis te
offendi turpitudine vitæ tuæ. Hoc credo , quis enim non
offenditur ? Homines mali vitia sua oderunt simul &
amant , atque etiam , dum perpetrant , detestantur. Quid
prodest verbis mala rejicere , factis amplecti ? Nemo est
tam profligatæ conscientiæ , cui aliquando vitia sua nau-
seam non faciant , sed citò cum illis in gratiam redeunt.
Qui autem verè conversus ad Deum est , ponit securim
ad radicem & ipsas minutissimas vitiorum fibras eradicat.
Tum memor fragilitatis suæ omnes peccandi occasionses
studiosissimè vitat : & ad quodlibet malæ rei objectum ti-
more concussus reslit & exhorrescit.

3. Quid frustra tergiversaris & præcipienti Deo vitio-
rum exterminationem opposis naturæ infirmitatem ? Ne-
mo magis virium tuarum mensuram novit , quam qui ip-
sas largitus est. Quare ergo non statim obtemperas , cum
non commodum queratur jubentis , sed tua utilitas ? O

cœcam & sceleratam temeritatem! Servili nequitia in os Domini reclamare audes & dicere durum esse quod ille jubet; ac si mandata tibi imposuerit, quæ ferre non possis: ut videatur præcipiendo non tam salutem tuam quæsivisse, quam pœnam. Hæc est nimurum humana perversitas & malè de Deo mereri & labore sibi fingere in præcepto. Sed si volueris vires tuas experiri, videbis multò plura tē posse, quam putabas. Non quia difficultis est lacta non audes; sed quia non audes, difficultis illa videtur. Multa prius terrori habita usus vertit in risum. Incipe, nec te ipsum contemnas. Non deserit Deus milites suos. Tantum virium habebis, quantum volueris.

4. Omnia vitia facilè vinces, si omnem tibi diem supremum diluxisse credideris. Quid est quod te alligat terræ? Quia nunquam cogitas cito ab ea exeundum esse. Transiunt quotidiè præter oculos tuos elata cadavera, quæ mortalitatis oblitum respicere cogunt ad mortem. Tu autem in media strage morientium nihil minus quam mortem cogitas: & cum nihil frequentius videoas, nihil citius oblivisceris. Veniet tamen qui te relevet dies, & ex contubernio olidi ventris educat. Discutietur ista caligo & tunc in tenebris te vixisse cognosces, cum lucem aspexeris. Produc, si potes, ex tot elapsis annis vel unicum diem integræ virtutis testem, qui non fuerit aliquâ labe pollutus. Defloruit rudior ætas inter talos & nuces, inter ineptias & libidines adolescentia, inter scelera & flagitia præceps juventus. Post omnes annos, qui à cunis ad canos defluxerunt, nihil jam superest nisi dolor & pravi fructus iniquitatis. Heu quales te apprehendent angustiae, cum præterita pudori erunt, formidini futura? Quid tunc proderunt divitiae tot partæ sudoribus, tot curis quaesitæ? Quid carnis delitiae & probrosæ voluptates; quid inania dignitatum nomina, quid purpura, quid coronæ? O si daretur reverti ad crepundia & telam de novo exordiri, quam meliori textu omnia concinnares; sed intempestiva illo fatali momento hæc vota erunt. Si vis tempore uti nunc

nunc incipe: & ea desere, quæ tunc velles deseruisse,
Minima res est momentaneis renunciare, ut eterna con-
sequaris.

5. Quære, si lubet, ex morituro de anteacta vita quid sentiat. Vix unum reperies, qui non longè diversam proferat de opibus, dignitatibus, mundique vanitatibus sententiam, quam vivens habuerit. Tunc res omnes æquiori lance pensantur, suisque momentis æstimantur. Et illis quidem sera sapientia in exitu est: tibi verò plurimū proderit, si ex alieno errore tuum corrigerem didiceris. Potes nunc tutò navigare, quid expectas tempestatem? Potes te rebus integris subducere calamitati: cur te reservas extremo periculo? Sera, dum mergeris, cautio est; sera prudentia, cum jam peristi. Tot maximi & sanctissimi viri, relictis omnibus impedimentis, cum sibi & mundo valedixissent, hoc unum in extremam usque ætatem egerunt, ut vivere, & mori scirent: plures tamen nondum se scire professi, è vita abierunt: Adeò difficile est hanc artem ediscere. Tu autem in senectutem sanadiffers consilia, & inde vitam vis inchoare, quò pauci perduxerunt? Stultitia magna est tunc vivere incipere, cum desinendum est.

6. Quò te projicis incautus homo? sic credis & sic vis? umbræ transitus est tempus tuum, punctum vita tua, & si quid minus puncto esse potest. Vix natus definis esse. Siste vel unum diem, horam dumtaxat ne fluat inhibe, brevem moram temporis pone. Frustra conaris: nam te secum citius abripiet, quām ut definat velocissimè fluere in tuum rerumque omnium exitium. Et huic momento æternitatem postponis, quæ finem non habet. O stultitiam! ô cæcitatem! Corpori perituro non cessas quæ ad ipsum pertinent comparare, & non est finis acquisitionis tuæ: animæ verò, quæ nunquam moritur, nulla provides bona in futurum, ac si tua non foret? languet corpus, omne discrimin subire paratus es, ut sanetur: Languet anima & negligis & non sensis? Quando dictum est tibi, Naviga ne moriaris & distu-

C. Bona Opusc. Spirit.

V

listi? sume amarissimum pharmacum & recusasti? Levia Deus jubet ut vivas in æternum & non vis obedire? Si tibi lis foret, omnis cogitatio tua, omnis sermocinatio circa illam occuparetur, nec subsidia parare cessares, ut pro te Judices sententiam ferrent: extremo autem judicio imminentे, è quo pendet æternitas, ridēs, nugaris, peccas in æternum peritus. Ah define tandem insanire, & à vitiis emergens sic forma quotidiè animum tamquam ad extreum ventum sit. Vera philosophia hæc est, quām maximè fieri potest hanc animam è corpore educere & separare.

7. Hoc sit negotium tuum, hoc otium; hic labor, hæc quies, subducere te tempori & immergere æternitati. Fixum semper & immobile stat, quod in jura transit æternitatis. Avarus epulo aquæ stillam post tot sæcula adhuc petit & perpetuo mugitu frustra rogabit. Æternitas est duratio semper præfens, nunquam sine suspirio & horrore nominanda: est rota quæ semper volvit: est juge, interminatum, semperque inchoans principium. Seria ejus cogitatio mundi delitiis miscet absynthia; lethalique mœrore attonitos homines, ac veluti sideratos dejicit, hæc animam rebellem domat & curis inanibus indormiscentem excitat ad virtutem: hæc famem, & sitim condit, hæc omnem laborem facilem, jucundum omnem dolorem, omnem pœnam suavem, & brevem esse persuadet. Impleantur numericis notis ingentia cœli spatia quaunque in immensum protenduntur. Quis præter Deum poterit hanc propemodum infinitam numerorum seriem exprimere? Hi tamen numeri innumerabiles nec initium quidem æternitatis sunt. Tot anni, tot sæcula labantur, quot sunt in illis unitates, nondum aliquid de æternitate decepsit. Nondum pervenerunt ad desperatissimæ æternitatis initium infelicissimi mortales, qui perpetuo inferni incendio cruciantur. Ad hanc considerationem si non horrescis, si vitam serio non emendas, quovis saxo durior es.